

Tempore

Cum ieiunasset ihesus quadraginta diebus et quadraginta noctibus postea esurivit Mat. 4. Crisostomus inquit. Sicut per .40. dies non esurire non erat hominis sed dei ita esurire aliqui non dei sed hominis erat. Hoc tamen non est ignorandum ut dicit Basilius magnus. Christus dominus passionem famis assumpsit non coactus sed sponte ut provocaret dyabolum ad duellum. desperauerat enim dyabolus temptare eum videns quod sine ulla fame tamen ieiunaret sentiens vero eius esurientiam audaciam sumpsit et aggressus est saluatorem. Cum autem omnis christi actio nostra sit instructio ut dicit Gregorius. ideo et nos ieiunare debemus quod dicit idem Gregorius. Ipse auctor hominum in .40. diebus nullum omnino cibum sumpsit. nos quoque in quantum possumus quia dragelime tempore carnem nostram per abstinentias affligamus. De ipso enim dicitur. Cum etc.

Item de eadem Dominica Sermo. xxviii.

Qum ieiunasset ihesus .40. diebus et .40. noctibus postea esurivit Mat. 4. In verbis predictis de duobus edocemur. Primo quid sit agendum. Secundo quid sit credendum. Primum notatur ibi Cum ieiunasset. glosa quod ieiunavit exemplum nobis ieiunandi dedit. Gregorius. Omnis christi actio est nostra instructio. Secundum scilicet quid sit credendum notatur ibi .40. diebus et .40. noctibus. Et notandum quod duo credenda sunt de christo scilicet potentia diuinitatis que notatur ibi .40. diebus et quadraginta noctibus. quod tamen ieiunavit diuine potentie fuit. infirmitas nostre carnis que notatur ibi. postea esurivit glosa. Esuries signum est infirmitatis et nostre humilitatis et sic instruimur in moribus et in fide. dicit ergo cum iei. 40. diebus et .40. noctibus. esurivit. Primo edocemur quid sit agendum. **N**otandum quod tribus de causis ad ieiunandum nos inuitant. propter oportunitatem propter eruditionem. propter utilitatem. Primo propter oportunitatem. ueniebat enim refectoriae gula scilicet ieiunando per quam victus fuit primus homo in paradiso. porte enim et fenestre per quas solitus est latro intrare claudunt id est loca infirma per que aliqui patuit aditus aduersariis muniuntur. Operui in ieiunio animam meam ne hostis inueniat aditum intrandi ad eam. Secundo propter eruditionem. dicit enim glosa Ieiunat ut temptat. et ideo docet nos ut qui aliqui bona incipiunt ut ieiunium et cetera huiusmodi statim a dyabolo impugnantur. Unde Thobias. 12. Bona est oratio cum ieiunio et elemosina magis quam thesaurum auri condere. bene dicit bona est oratio cum ieiunio. et elemosina quia ieiunium sine oratione et elemosina non est in tuto loco. peregrinus enim non tuto vadit solus per talia loca ubi scit esse latrones. demones enim impugnant ieiunantem. vel ut superbiat per vanam gloriam vel ut auaritia incendat ut que sibi subtrahit in bursa ponat. et